



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. III. Quomodo per arcanissima iudicia Dei cognoscenda sit voluntas
divina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

CAPVT III.

Quomodo per arcanissima iudicia Dei, cognoscenda sit Voluntas divina.

Illud Hebraei vatis hic assidue ingeminandum: *Iudicia tua, Domine, abyssus multa, multa, multa nimis.* Jam olim hanc abyssum velut digito monstrarunt duo regii ministri, Pincerna & Pistor Pharaonis Aegypti Monarchae. Uterque ejusdem regis famulus, gratia excedit uterque, in carcerem & vincula uterque raptus est, nec levi de causa: nam utrique Rex Pharaon iratus, utriusque etiam inter epulas recordatus est, utrique vitae gratiam potuisset facere, iustitiam non obloquente, aut utrumque capite damnare. Et tamen hunc infami supplicio addixit, illum officio pristino restituit; Pistor in crucem egit & corvis eam obiect, Pincernam in gratiam recepit, ac denovo ad regis mensae ministerium admittit. Talia sunt iudicia Dei, hos ex iustitia & conspectu reicientis, illos autem in conspectum admittentis ex gratia. Iudicia Dei abyssus multa. *Quis scit, quid sit, quid faciat, quid enarrare opera eius, qui enim investigabit magnalia eius?*

§. I.

Quam occultae Dei iudicia circa Nabuchodonosorem, & Pharaonem illum alterum qui ignorabat, Joseph & de quibus eximie Augustinus: *Nabuchodonosor, inquit, post innumeratas impietates flagellatus, penitentiam meruit fructuosam: contra vero flagellis ipsis durior est factus Pharaon, & perit. Ambo homines, reges, impii, ambo flagellis moniti. Quid obsecro eorum exitus fecit tam dispar? unus Dei misericordiam sentiens ingenuit & respexit, alter Dei voluntatem aver-* satus in peccatis permansit, & interiit. Ita idem medicamentum, ab eadem manu confectum, aegros duos simillimo morbo oppressos dissimiliter afficit, & hunc quidem ad sospitatem, illum ad tumbam deducit. Ita duo latrones cum Christo in crucem sublati, & in pari culpa, aequali supplicio, simillima morte, dissimilimam post mortem sortiuntur habitationem. Iudicia Dei abyssus multa.

Optimus ille rex Asa, qui *Fecit quod bonum & placitum*, erat in conspectu Dei sui, & subvertit altaria peregrini cultus, qui omnem abolevit idololatriam, omnium priorum regum maculam, excelsa, demoliri ausus. Et tamen ille Regum optimus, priorem laudem in fine corripuit: diu praeclarissime se gessit, annis triginta optimorum regum exemplar haberi potuit, tandem regi Syriae plus quam Deo confilius, prophetam Hanani ejus facti reprehensorem in nervum compegit, e plebe plurimos interfecit, pedum dolore correptus, plus medicorum artu quam divinae opis tribuit. Ah, quam non responderunt extrema principiis! sanctissimus Rex quantum a seipso mutavit? Contra Manasses impiissimus, qui omnem vitam suam sceleribus infamavit, tandem in se descendens, principia pessima nobili fine coronavit. Abyssus multa, mi Deus, iudicia tua, abyssus nimis profunda!

§. II.

Saul & David quam admirandi! Uterque initio laude dignus, uterque in gravia delicta lapsus cum offensâ totius regni, ob hoc uterque punitus, sed eventu diversissimo. Saul obliuata impietatis homo, miserimè finit: David poenam in medicinam vertit, factus Deo familiarissimus. Hic nefas quærere, *Quare aut Cui hoc?* E scholâ daemones producit, Cui ritus. Multos perdidit importunissimum istud Cur, & Quare. Cur enim praecepit vobis Deus, quærere olim fallacissimus colubet. Cui respondendum fuisset: Praecepisse scimus, cur praeceperit, nostrum non est quærere: haec Domini voluntas est, causae voluntatis hujus nobis minimè scrutandae. *Quis enim*

luntatem tantum ledendi, an tantum potestatem, an utrumque? Utrumque, dices. Sed ego te docebo neutrum accusare. Non voluntatem nocendi, haec enim sine potestate vana est, nec tibi quidquam nocuit, non nocendi potestatem, quae à Deo est, quae iusta & aequa est.

Rom. cap. 13. vers. 1.

Nolitis Omnis potestas à Deo est. Quid ergo conquereris, illum in te posse, quod Deus illi permittit? Grandis mihi sit injuria, dices. Quenam illa tandem injuria? Peccata tua punit Deus, patientiam tuam exercet, praemia tua multiplicat, & tibi fit injuria? Huic, ais, nequam homini, & voluntati ejus nequissima indignor. Ad hominem tu semper respicis, ego verò ad Deum te suspicere volo. Voluntas humana, quantumvis improba quid potuit, quid fecit? Tu non adeo doles, quod voluerit tibi nocere, sed quod nocuerit, aut nocere potuerit. At, quæso te, quid & quomodo potuit, unde potuit, cur potuit? nonne potestate & concessione divina? si divina, nunquid iusta, laudabili, sancta? Ergo, vel tace, vel querelas tuas ad divinam hanc permissionem erige, & hoc animo tuo inculpe: Nunquam permittit Deum, ut alterius mala voluntas quidquam in te mali molitur, nisi in tuum bonum, si tu tamen ipse tibi non oblis. Et quis est

1. Pet. cap. 3. vers. 13.

In 1. ad Cor. 6. 1.

propius finem.

qui nobis noceat, si boni emulatores fuerimus? Praclarissimè Augustinus: Noli timere inimicum, inquit, tantum facit quantum acceperit potestatem. Eum time, qui habet summam potestatem. Eum time, qui quantum vult, tantum facit, & qui iniuste nihil facit, & quidquid fecit iustum est. Putamus iniustum esse nescio quid, & ex hoc quia fecit Deus, crede iustum esse. Ergo, inquit, si quis hominem occidit innocentem, iuste facit an iniuste? Inique sanè. Quare hoc permittit Deus? Disputare vi, antequam facias unde dignus sis disputare, quare hoc permittit Deus? Consilium Dei tibi dicere, o homo, non possum. Illud tamen dico, quia & iniuste facit homo qui occidit innocentem, & non fieret nisi permitteret Deus. Et quamvis ille iniuste fecerit, non tamen hoc iniuste permittit Deus.

August. ibid.

Idem, de Christi Domini, noce: Itaque fratres mei, inquit, Iudas malignus traditor Christi, & persecutores Christi, maligni omnes, impii omnes, inique omnes, damnandi omnes: & tamen Pater proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Diffone, si potes, distingue, si potes: redde Deo vota tua, quae distinguunt labia tua. Vide quid tibi fecerit iniquus, quid iustus. Ille voluit, iste permittit. Ille iniuste voluit, iste iuste permittit. Voluntas iniusta damnetur, permissio iusta glorificetur. Noli ergo mirari, permittit Deus, & iudicio permittit: permittit & mensurâ, numero, pondere permittit. Apud illum non est iniquitas, tu tantum ad eum pertine.

Nô homo

injuriam

inferens,

sed Deus

injuriam

permittens

intuendus.

Haec consequenda tranquillitati via proxima est, non hominem injuriam inferentem, sed Deum injuriam permittentem intueri. Hic Sanctorum mos erat, non quis, quæve ratione lederet, sed quis ludentem non impediret, attendere. Hinc ipsas etiam injurias beneficia interpretabantur: nam isti sunt, aiebant, qui nos beatos faciunt, at qui beatos praedicant, illi nos decipiunt. Ita oculis in Deum semper intentis, à divinis nutibus in omni re pendebant, à Deo omnia expectabant.

Peccatum

nullam

bonitatem

acquirit,

quia boni

occasione

tribuit.

Ex hoc vero capite nullius hominis peccatum plus veniae meretur, quod majus inde bonum eliciat Deus, nam boni occasionem solum praebet homo, non causam, & occasionem quidem non ex se, sed ex divinae bonitatis abundantia. Si pauperulus hominis tugurium improbus quis incenderit, non ideo minus deliquit, quia id pauperulus ille patienter tulit, aut Princeps aliquis decuplo meliorem domum substituit. Aliena virtus, & felix eventus, incendiarii culpam non diluunt: ita nec peccatum bonitatem ullam acquirit, quod boni occasionem praebet. Sed ut haec omnia melius capiamus, quam occulta sint Dei iudicia, nunc expendendum.

enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut qui prior dedit illi & retribuetur ei: quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. At dixerint forsitan aliqui: Tamen rationem aliquam exigere licebit hujus vel illius præcepti. A quo? num à Deo? cui unilicet quod libet? & nihil libet nisi quod licet. Si servus à patrefamilias, subditus à principe rationes exigat, ille contumeliam putet, hic rebellionem: tibi plus animi adversus Deum est: Non aliter hæc ratio constat, quam si nulla reddatur.

Quam admirandum & illud! Samaritani Dominicis verbis celerrimè credunt, rogantque Dominum, secum maneat; Geraseni increduli eundem rogant, & se abeat; Judæi perfidi nec verbis, nec factis, sed nec ullis prodigiis aut miraculis induci possunt ut credant Veritati. *Judicia tua, ô Domine, abyssus multa!*

Julianus Alexandrinus, sanctissimus martyr pedum uli capus, ad tribunal in sellâ gestatus est à duobus famulis. Horum alter Fidem & Dominum abnegans, turpissimè defecit: Alter Eunus nomine, Deo & hero fidelis, perseveravit. Sic ambo camelis impositi, per urbem Alexandriam flagellati, tandem in rogam conjecti, sanctissimè finierunt. Hos cum Besa miles spectaret, & hominum innocentem miserum, insolentiam petulantis plebeculæ colibere niteretur, delatus ad judicem, capite plexus est. Nimirum transfuge illius præmium occupavit. *Judicia tua, ô Deus, abyssus multa!*

Narrat Athanasius Alexandrinus præsul, in rebus gestis Antonii Magni, duos fratres ad Antonium suscepisse iter, sed in viâ, ex aquæ penuria, alterum sibi mortuum, alterum morti proximum jacuisse defunctis viribus. Antonius aliquot inde milliariis distans, & tum forè in rupe confidens, duos à suis ad se subito evocans: Ite, inquit, festinato resiliat, & aquæ lagenam deferat: unus è duobus fratribus huc commeantribus in itinere jam obiit, alter adhuc dum spirat sed ægrè, & nisi maturâ opâ subveniant, nec illum vivum reperietis. Hoc mihi orantiam primum significavit Deus. Sic ait, & illi ut iussi, mox iter celerarunt; repertum extincti cadaver terræ mandarunt, alterum fonte refectum sibi comitem junxerunt. Erat autem iter unius diei. Hic opportunissimè Athanasius: Fortasse, inquit, aliquis quærat: Cur non antequam alter moreretur, Antonius monuerit? Indigna proflus Christianis quæstio, quia non Antonii sed Dei judicium fuit, qui & in morientem, quam voluit, sententiam tulit, & de sicente revelare dignatus est.

Hæc arcanissima Dei arcana cum secum miraretur Antonius, jamque pæne inciperet descendere in hanc divinorum judiciorum profunditatem, apud Deum sic familiariter quæstus est: Mi Domine, illos flagitiis operatos tamdiu finis vivere, istos ad plurimorum utilitatem natos abripis? Hi non adeo improbi, tam severè à te puniuntur; alii vivunt impunè, & à vivendi prosperitate, peccandi sumunt audaciam. *Prodit quasi ex adipè iniquitas eorum.* Hic vocem audit: Antoni, ad te ipsum intendere hæc judicia Dei sunt; tibi non scrutanda.

O quam magnificata sunt opera tua, Domine, nimis profunde facta sunt cogitationes tuæ: vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Verè tu es Deus absconditus! Anno millesimo centesimo supra decimum septimum, cum Italia tota terræ moribus quateretur, ait Rogerius, aliquot Mediolanenses Patricii sub turri confederunt, erat enim eis de Republicâ negotium, cum vox foris audita, quæ unum nominatim evocabat. Ille cunctari, & dubitare quis vocaret, & quem itaque hære, & repetitam vocem expectare: cum ecce ignotus aliquis ad fores adest, & hunc ipsum rogat ut exeat. Vix dum aliquot spatia à loco abiit, cum turris corruit, & una omnes oppressit. Cur hic unus tantum, & ceterorum nemo ab interitu servatus? *Judicia Dei, abyssus multa.* Quis non videat præca hic prodigia revocari? Sic Angelus Lothum cum familiâ educit, Sodomois incendiis sub-

A duxit: sic mille alii interpercutuntur turbam ab exitio defeniti sunt.

Anno millesimo quingentesimo supra nonagesimum *Kunigberg*, septimum, in Sicilia, in monte Regali, obstinate libidinis homo à religioso viro aliquoties monitus, impuram vitam tandem desineret, & meretricium consortium ejuraret. Perstitit tamen miser, sed post extremam monitionem in sinu pellicis confossus est. Alius non dispatis vitæ vir, & qui plurimis annis cum infami femina habitavit, ubi lamentabilem hunc exitum inaudit, alieno malo sapere voluit, & omnem vitam ab annis sexaginta per confessionem relegit. Quid hic aliud iterum vociferer, quam hoc ipsum: *Judicia tua, Domine, abyssus multa nimis!*

§. IV.

E Thoc est quod divinum Paulum in tantam admirationem rapuit. Gemellis illis Jacob & Esau, cum *Rom. cap. 9. non dum nati essent, aut aliquid boni egressent aut mali &c. di. & segg.* etum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus: numquid iniquitas apud Deum: absit, &c. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit signentum ei qui se sinxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus lutum? Aurifex argentum & aurum suum, figulus suum lutum pro libitu versat, quamvis inter figulum & lutum non remotissima sit cognatio, qualis inter Deum & hominem, vilissimum terræ veniculum. Quis igitur Deo dicere potest: Cur ita facis?

Narrat Dorotheus, navigium appulisse ad urbem venalibus mancipiis plenum. Erat in illâ civitate virgo sanctissimis moribus, suæque salutis studiosissima. Hæc mirè letata occasionem offerri, ad discende inde anellulâ, quam suo nutu ad omnem vitæ sanctitatem etiamnum docilem formaret. Et commodè navarchus puellas duas habuit, è quibus alteram virgo liberali pretio emit. Vix hæc abiit cum adest femina profligati pudoris hitrioniam faciens saltatriculâ, hæc alteram virgunculam licitata, cum pretio non grandi parabilem audiret, emtram abduxit. Heu misella, tam scelestam nacta dominam, quam sanctam alteram! Quis hic judicii divini abyssum scrutetur? Utraque ab annis innocens, utraque venalis, utraque suæ sortis ignara, utraque velut testa recens, odorem servatura, quem primitus imbibisset: Et tamen illa virgineos mores edocta, non difficulter virtuti à teneris assuevit, Angelorum digna consortio: hæc autem ab illâ furia ad omnem petulantiam & lasciviam instituta, improbos dominæ mores feliciter imitata, nobile fuit spoliū diabolo; alia certè futura, si aliam habuisset magistram. Sed *Judicia tua, ô Domine, abyssus multa.*

Non multum absimile quid in cognato sanguine Gregorius Magnus expertus est. Tres habuit amitas vir iste sanctissimus, Amilianam, Tarillam, Gordianam: omnes se Christo & virginum sacrarum collegio devoverunt: duæ illæ uti virginitatis sponsonem integerrimè servarunt, sic vitam suæ optimo clausurunt; tertia illa Gordiana nullis obtemperans monitis, illecebrarum appetens, tandem frenum rupit, cenobio excessit, villicum suum vagâ libidine secuta. *Judicia tua, Domine, abyssus multa!* hæc nemo se immittat. Ecce Deus magnus *Iob cap. 36. vincens scientiam nostram, quis poterit scrutari vias ejus? Causa 2. 23. & 26.* tissimus hic Jესus rex: *Vt jumentum, inquit, factus sum Psal. 72. apud te.* Tuis, ô mi Deus, judiciis, me non immisceo; tuum me jumentum gero; jumentum est, hero jubenti parere, non iussa discutere. Et quid miri hominem in scholis non educatum, & qui juventutis suæ rudimenta in pecorum custodia posuit, ita de se sentire? Ipsi Seraphini, spiritus nobilissimi, hoc faciunt. Nam cum in celo de abdicandis Judæis ageretur, Seraphim geminis alis faciem pedesque velabant, professi eò altitudinis se pertingere non posse intelligentiâ, quò se se admiranda Dei opera

opera extollerent: divina iudicia omnem intelligendi vim excedere: se itaque contentos, scire ter sanctum esse Numen, sanctum in seipso, sanctum in iudiciis, sanctum in operibus. Si sic supremi Angeli arcana Dei iudicia venerantur, quanto magis nos vilissimos homines clamare convenit: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*? Hic neminem non plurimum soletur, quod excellentissime dixit Augustinus: *Potest Deus aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis dammare, quia iustus est.*

§. V.

Cernimus quidem mirabiles mundi revolutiones, continuas vicissitudines, eventus prorsus inopinatos, & est cum dicamus: Videamus obsecro, quem res exitum sortitura sit. Videmus tandem & miramur, frigidissimum illud nobiscum multantes: *Non putassem.* At nescimus miseri, quae securura sint, sed nec eorum, utur eveniant, ratio poscenda. Non enim cogitationes meas, cogitationes vestre: neque via vestre, via mea, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cali à terra, sic exaltata sunt via mea à viis vestris, & cogitationes meae à cogitationibus vestris. Rationem de occulto Dei consilio querere, inquit Gregorius, nil aliud est, quam contra consilium eius superbire. Nostrum est in omnibus cum beato Paulo dicere: *O altitudo sapientiae & scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius!* In hac vita plurima nunquam satis indagabimus. Sufficiat nobis scire, Deum iniquum non esse, nec extremo iudicii die futurum ullum, qui non cogatur dicere: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Conatus quidem rex David, haec Dei arcana iudicia perituri rimari, *Existimabam, inquit, ut cognoscerem hoc.* Tandem tamen non repertis ullum exitum, *Labor est, ait, ante me, donec intrem in sanctuarium Dei; differenda est haec occultorum scientia in Orbem meliorem.*

Psal. 144.
vers. 17.
August. l. 3.
contra Iu-
lian. c. 18.

Isaie cap. 55.
v. 8. & 9.

Rom. cap. 11.
vers. 33.

Psal. 118.
vers. 137.

Psal. 72.
vers. 16.
Ibid. v. 17.

De arcanis
Dei non
inquiren-
dum.

Ecclesi. c. 11.
vers. 4.

Sap. cap. 11.
v. 21 & 22.
4. Esd. c. 4.
vers. 5.

A ponderare, aut statum ventis mensurare, aut diem praeteritum revocare frustra nitimur? Modò jam istud sciamus, causam ante omnes causas esse, *Voluntatem Dei*, à qua qui quærit aliam, vim & potentiam ignorat naturae divinae. Nam causam omnem, necesse est generare quodam priorem & maiorem esse suo effectui: at Deo, & eius voluntate nihil prius aut majus, non ergo illa eius causa. Quid ultra hic vis? Deus permittit, Deus voluit, Deus fecit. Summa iustitia est, ut rectè & pie Salvanus ait, voluntas Dei: Summa prudentia est, divine voluntatis ac providentiae decretis placido animo acquiescere.

CAPVT IV.

Quomodo Dei voluntas, in rebus omnibus agnoscitur possit.

Diversi quidem regimini est, hypocausum plenum infantibus, gymnasium plenum discipulis, plenam domum famulis, cenobium plenum religiosis, campum plenum militibus curare, eadem tamen in omnibus gubernandi ratio est per Obedientiam, quae diversas voluntates in unam iubet coalescere. Male dux imperabit nisi omnes suos milites aut ore gestare possit, aut manu, hoc est, aut voce aut nutu ad omne imperium impellere. Illic bene res geritur, & disciplina sibi constat, cum in domo patet familias, in schola magister, in cenobio anachoritis, in castris dux, suos omnes aut lingua circummagit, aut dextra; verbo regit aut nutu, & quoquoque vult perperit.

Quemadmodum verò militum sui ducis linguam aut dextram insidere convenit, ad huius vel illius imperata promptum: ita prorsus hominem Christianum decet, velut in lingua Dei manūse sibi haerere, ut quidquid Deus voluerit, dixerit, iusserit, quoque naturam intendere, mox ille idem velit, eò protinus eat, currat, volent. *Aut legi.* Omnium nostrum vox sit: *In capite libri scriptum est de me, & de te, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus voluit, & legem tuam in medio cordis mei: in medio memoriae, intellectus, voluntatis meae, voluntas tua, mi Deus, inquit legum omnium mihi est.*

Sauli à Christo in terram dejecti, prima omnium quaestio fuit: *Domine quid me vis facere?* Haec omnium proborum assidua sit percontatio: Domine quid me vis facere? quæ tua voluntas, mi bone Jesu? verbo, nuda significatio: eo, pareo, facio, quidquid me facere volueris. Huic igitur quaestioni ante omnia nunc respondendum quâ ratione nimirum Dei voluntas in rebus omnibus sit agnoscenda. Aliquot hic regulas dabimus, per quas divina voluntas facile poterit explorari.

Prima regula divinae voluntatis cognoscenda.

Quidquid abducit à Deo, contra Dei voluntatem est: quidquid ad Deum invitat, ad divinam voluntatem pertinet. Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, &c. Itaque si quis tale quid in se deprehendat, ut fateri cogatur: Hoc officium, hæc societas, hoc mercimonium, hoc vivendi genus me non reddit sanctiorem; abducit à Deo, sed sensim, & lentis gressibus, ergo nec officium istud, nec illa societas, nec mercimonium istud, nec ista vivendi forma divinae voluntatis est.

II. Regula.

Voluntas Dei per legem Dei & Ecclesiae luculentissime me nobis declaratur. Ideo in omni ambiguitate non tantum quaerendum, quid Dei aut Ecclesiae leges velint, sed quid istidem magis aut minus conforme sit. Christus olim opulento juveni sciscitanti, quâ proximâ viâ iretur ad caelum, hunc optimum divinam voluntatis interpretationem designans: *Mandata, inquit, nostri? Sanè nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini.* Hunc ipsum divinam voluntatis